

9642

10 Noxxix

1748 38

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
DE
**FAMILIAE CONDVCTITIAE
FORO COMPETENTE**
IN PRIMIS IN
SAXONIA ELECTORALI

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. CAROLO GOTTLIEB KNORRIO

ICTO POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIS AVLICIS

PROFESSORE IVRIVM ORDINARIO ET FACVLTATIS IVRIDICAE

H. T. DECANO

PRO OBTINENDO GRADV DOCTORIS

DIE V. NOVEMBER. CIOIOCCXLVIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIANIS

DEFENDET

AVCTOR

IOANNES GOTTLÖB FVNCKLERVS

LIPS.

Mono: Orling



OVIS VIRORUM
ILLVSTRI. ET. EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CAROLO. WILHELMO
GAERTNERO

IVRISCONSVLTO. PRAESTANTISSIMO

MAHEREDITARIO. DOMINO
IN
ROEHRSDORE. ET. LVTTICHAU
POTENTISSIMO. POLONIARVM. REGI
ET
SERENISSIMO. PRINCIPI. ELECTORI. SAXONIAE

A. CONSILIIS. REI. BELLICAE
ET. APPELLATIONVM. INTIMIS

P A T R O N O . S V O

OMNI, ANIMI, CVLTV. VENERANDO

VITAM LONGAM. VALETUDINEM. PROSPERAM

ATQVE. SVCCESVS. RERVVM. OMNIVM. SECUNDOS

APPRECATVR

E I D E M Q V E

H A N C . D I S S E R T A T I O N E M

IN. PVBLICVM. SINGVLARIS. OBSERVANTIAE. TESTIMONIVM

SACRAM. ESSE. CVPIT

ILLVSTRIS. NOMINIS. EIVS

OBSERVANTISSIMVS

IOANNES. GOTTLUB. FVNCKLERVS

L I P S I E N S I S.



§. I.

THEMATICIS UTILITAS.

Non ultima sane iurisprudentiae pars est, nosse, quo sub iudice quaelibet res pertractanda, aut quis conueniendus sit, in tanta praecipue iudiciorum multitudine atque diversitate, qua nostris in primis utimur temporibus. Haec enim diuersitas, quam ratione iudiciorum deprehendimus, efficit, ut primo statim intuitu saepe difficile iudicatu sit, coram quo iudice haec vel illa persona conueniri debeat. Cum vero actor forum rei sequi teneatur *l. 2. C. de iurisd. l. fin. C. ubi in rem act. praecipuae illius partes esse debent, ante omnia inquirere, quodnam sit forum rei competens?* Huius autem competentia, cum propter iudiciorum diversitatem, ut modo diximus, iudicatu sit difficilis, quae-dam hac dissertatione *de foro competente* in medium pro-ferre non inutile visum fuit.

A

§. II.

2 DE FAMILIAE CONDVCTIT. FORO COMPET.

§. II.

TRACTATVR HIC FORVM COMPETENS
SOLVM RATIONE FAMILIAE
CONDVCTITIAE.

Cum autem materia de *competentia fori*, si quis eam leui etiam calamo attingere velit, tam ampla tamque diffusa sit, ut vnius dissertationis limitibus vix contineri possit; non omnem huius materiae fontem hac dissertatione exhaustire, sed riuum solum quendam ab eo deducere animo constituimus. Missis enim reliquis competentiae fori capitibus *familiae solum conductitiae forum competens* pertractare, et quid praecipue in Saxonia Eleitorali et leges constituerint, et consuetudo introduxit, monstrare nobis proposuimus.

§. III.

QVID SIT FORVM COMPETENS?

Ne tamen reliquam fori competentis materiam plane intactam relinquamus, generalia eius capita hac praecipue mente adducemus, ut ea, quae sequuntur, eo melius intelligi possint. Rem autem, ut ordine, quo decet, aggrediamur, ante omnia fori competentis definitionem praemittendam esse existimamus. Est autem forum competens, si quis hoc recte definire velit, nihil aliud, quam *iudicium, coram quo quis agere, et ad resonandum cogi potest*, vti hoc etiam sensu iudicis competentis l. 19. ff. de *iurisdic^t.* et tribunalis competentis l. 35. §. 2. ff. de *procurat.* sit mentio.

§. IV.

§. IV.

QVOMODO DIVIDATVR?

Praemissa praecedente paragrapho competentis fori definitione, nunc ad illius diuisionem nos vocat ordo, quem nobis hac dissertatione proposuimus. Habet autem forum reus vel ex iure communi vel ex priuilegio. Forum ex iure communi iterum diuiditur in generale et speciale. Generale est forum domicilii, specialia autem sunt forum contractus, delicti, rei sitae, et continentiae vel connexitatis causarum. Forum ex priuilegio seu singulare, vti vocatur, rursus in illud a doctoribus diuiditur, quod ratione causarum priuilegiatarum et hoc, quod ratione personarum quarundam competit. Hae sunt, quae vt plurimum ratione fori adducuntur diuisiones. Licet enim dentur adhuc quaedam fora specialia, quae doctores nonnunquam allegare solent, tamen, quia breues esse volumus, has adduxisse diuisiones sufficiat.

§. V.

QVID SIT FAMILIA CONDVCTITIA?

Haec sunt ea, quae generaliter de fori competentis materia eo animo annotare volumus, vt, quae sequuntur, eo facilius intelligi possint. Nunc igitur ad familiae conductitiae forum competens perueniendum atque de eo speciatim agendum est. Licet autem familiae appellatio varie accipiatur *I. 195. §. 1. s. e. q. de V. S. de seruis tamen proprie familiam dici patet ex §. vn. Inst. de L. f. us. Can. tollenda. Tit. Pand. Si familia furrum fec. dic. aliisque bonae notae auctoribus.* Quoniam vero longe alia ser-

A 2

vorum

4 DE FAMILIAE CONDVCTIT. FORO COMPET.

vorum Romanorum fuit conditio, quam famulorum mercenariorum, quibus hodie vtimur, vocabulo familiac, vocem *conductitiae* addere non dubitauimus. Intelligimus enim per familiam *conductitiam homines liberos* (*), qui alii pro certa mercede *operas suas* indeterminatas ad aliquid tempus collocant. ENGAV in elem. iuris Germ. L. I. tit. III. §. 52.

§. VI.

QVID VLTERIVS DE HAC NOTANDVM?

De hac autem ea, quae sequuntur, scitu necessaria esse censemus; quod scilicet 1) ratione libertatis maxime discrepet a seruis Romanorum STRYK V. M. Pand. L. I. tit. V. §. XII. TITII ius priv. L. III. c. II. §. 6. 2) merces illius certa ac determinata sit vel ex legibus provincialibus, vti in Saxonia Electorali hoc obtinet vid. die Neue Gesinde-Ordnung de anno 1735. vel ex consuetudine, vel ex pacto denique contrahentium ENGAV in Elem. iur. Germ. Lib. III. tit. XI. sed. II. §. 125. 3) intuitu operatum indeterminatarum ab aliis operariis, vulgo *Tagelöhner* dicitis, differat, vt pote qui operas certas determinatasque loca-

(*) Veniunt apud Germanos nomine *des Gesindes*, qui pro certa mercede seruiunt. Primo enim unus famulus dicebatur *Gesindus* eoque sensu accipitur apud OTFRIDVM L. IV. c. 12. v. 83. de luda proditore

Tber diuseles gisindo.

Postea collectivae pro toto seruitio sumi coepit. WACHTER Glos. voc. *Gesind*. P. I. p. 574. POTGIESSER de statu servorum in Germania L. I. c. IV. §. 43.

locare solent; 4) ratione temporis, intra quod regulariter praefat operas, ab hominibus propriis recedat, quippe qui dominis suis operas, dum viuunt, praestare debent ENGAV in elem. iuris Germ L. I. tit. III. licet teste LEYSERO Spec. XVI. med. 3. familiae conductitiae contractus in perpetuum dominis operas suas locantis valeat l. 10. C. de locato et conducto 5) iis iuribus gaudeat, quae vel indoles locationis conductionis, vel lex prouincialis determinat. ENGAV l. c. §. 52. Praeterea familia conductitia dividitur in *Spontaneam*, *Mietgesinde*, quae sponte operas suas alicui locat, et *coactam*, *Zwangsgesinde*, quae ad operas dominis praestandas cogi potest, ut sunt liberi subditorum, qui in Saxonia electorali per biennium dominis suis pro certa mercede operas suas praestare tenentur, de quibus praccipue die *Neue Gesinde-Ordnung de anno 1735.* conferri meretur. vid. BRVNNEMANNI Comment. in Pand. L. XIX. tit. II. ad leg. 26. n. 12.

§. VII.

NVM QVID IVRE ROMANO HVIUS MATERIAE RATIONE CONSTITUTVM SIT?

Quod si eorum vestigiis insistere vellemus, qui omnia ex iure ciuili seu Romano deducere et quid in eo constitutum sit, p[ro]ae omnibus afferre solent; nostri omnino esset, ante omnia docere, quoniam familiae conductitiae apud Romanos forum competens fuerit. Quoniam autem Romanis familia, vti nostris moribus introducta est, conductitia pene incognita fuit, eorumque serui longe alia, quam mercenarii nostri, vbi sunt conditione, et nos denique quid in primis in Saxonia huius

6 DE FAMILIAE CONDVCTIT. FORO COMPET.

materiae intuitu obtineat, docere animo nobiscum constituius, facile huic labori supersedere possumus.

§. VIII.

QVIS SERVORVM APVD ROMANOS
IVDEX FVERIT?

Quod enim Romanorum serui homines, immo etiam personae secundum statum naturalem l. 22. pr. ff. de reg. iur. non autem ratione status civilis fuerint, inter omnes constat. Nam huius intuitu eos rebus accensitos ideoque in dominio fuisse legimus l. 32. §. 2. ff. de legat. et fideicom. l. 4. §. 1. ff. de stat. hom. HEINEC. Elem. iuris civ. sec. Ord. Inst. L. I. tit. VIII. §. 129. Huius dominii effectus erant, quod serui fuerint in commercio adeoque vendi, donari, legari et quoconque titulo in alios transferri potuerint, nihil habuerint proprii, sed omnia acquisuerint dominis §. 3. Inst. per quas pers. cuique acquir dominique illorum iudices fuerint, et eos, si quid criminis commiserant, custodiae causa in vincula coniicere virgisque et loris affigere aliquis poenis afficere potuerint l. vn. C. de emendat. serv. immo etiam ius vitae et necis in eos habuerint §. 1. Inst. de his, qui sui vel alieni iuris sunt l. 1. §. 1. et 2. ff. eod. Id quod tamen propter eius abusum postea certo modo immutatum fuisse legimus §. 2. Inst. eod. b. m. HEINEC. l. c. L. I. tit. VIII. §. 131.

§. IX.

DE HOMINVM PROPRIORVM IN GERMANIA FORO COMPETENTE.

Quis est autem, qui ex his, quae de Romanorum seruis in compendio quasi dicta sunt, non primo statim intuiti-

intuitu videat, longe aliam familiae conductitiae hodier-
nae, quam seruorum Romanorum esse faciem? Missis
igitur his, quae nullam pene nostris temporibus adfe-
runt vtilitatem, ad vtiliora progrediamur. Quodsi enim,
relicto iure Romano, ad Germaniae leges atque consuetu-
dines peruenimus, se nobis sicut sunt homines proprii, de
quorum iudice, quia affinitatem quandam cum familia
conductitia habent, quaedam in medium proferre liceat.
Competit autem potestas iudicaria in homines proprios
dominis non vi dominii, sed vi iurisdictionis, qua gau-
dere solent domini STRYK V. M. Pand. L. I. tit. VI. §. 1.
BERGER Econ. Iur. L. I. tit. III. §. 2. POTGIESSER de sta-
tu seruorum in German. L. II. c. 1. §. 40. seq. L. V. c. 2. §. 16. seq.
et ita quidem, vt dominii ius vitae et necis in homines pro-
prios exerceant, instituto scilicet inquisitionis vel accu-
fationis processu. Non enim dominis pro lubitu in ho-
mines proprios faciendi competit licentia; sed secun-
dum leges et consuetudines, adhibito eo procedendi mo-
do, qui in iudiciis visitatus est, in eos animaduertere
debent.

§. X.

DE MODICA FAMILIAE CONDVCTITIAE
CASTIGATIONE DOMINIS HODIE
CONCESSA.

Sed, vt proprius ad rem accedamus, de familiae con-
ductitiae foro competente nunc in specie agendum erit,
vbi primum omnium videamus, vtrum dominis hodie
castigandi potestas in delinquentem familiam conductit-
iam competit? Si igitur dicendum quod res est, ali-
quam

8 DE FAMILIAE CONDVCTIT. FORO COMPET.

quam quidem, non tamen eam, quae apud Romanos ratione seruorum obtinuit, castigandi potestatem dominis concessam esse, fatemur. STRYK *diff. de iure domesticorum C. IV. §. 1.* LVDOVICI *de Iure et Iurisprud. domestica C. IV. §. 9.* Competit enim illis ius emendationis domesticae, cui se facite per locationis contractum subiecit familia conductitia. HOPPIVS *ad Inst. L. I. tit. VII ad §. 2.* Consistit autem illud ius in eo, quod domini familiam conductiam propter delicta eaque leuia et quea ministerium illius concernunt et verbis et verberibus modice cattigare possint. HOPPIVS *l.c.* LVDOVICI *c. §. 9.* STRYK *l.c. §. 2. et C. vlt. §. 9.* At enim cauendum est, ne quis iure suo abutatur modumque in castigando excedat. Hinc non solum in delictis grauioribus et quea extra ministerium committuntur, ius illud emendationis domesticae exulat BERG *l.c. L. I. tit. III. §. n.n. 3.* sed domini etiam videant, ne verbis famam aut verberibus valetudinem familiae conductitiae laedant. Laeditur autem fama, si crimen, in quod leges eius amissionem constituant, obiicitur. Hoc enim casu actio iniuriarum locum habere poterit. STRYK *V. M. Pand. L. I. tit. VI. §. 2.* LEYSER *ad Pand. sp. XVI. med. 4.* Et, si forsitan domini metuatur saevitia, cautio de non offendendo ab ipso exigi poterit. HOPPIVS *l.c. L. I. tit. VIII. ad §. 2.* STRYK *l.c. L. I. tit. V. §. 12.* Quid vero in primis in Saxonia Electorali obtineat, et quis modus procedendi in iudiciis in rebus familiam conductitiam eiusque dominum concernentibus debeat obseruari, docet die *Neue Gesinde-Ordnung* de anno 1735. Tit. IV.

§. XI.
newer Gesinde-Ordnung de anno 1735. Tit. IV.

§. XI.

QVID RATIONE FORI CONTRACTVS, REI
SITAE, DELICTI ET CONTINENTIAE
CAVSARVM IN FAMILIA CON-
DVCTITIA OBTINET?

Haec sunt ea, quae dominis in familiam conductitiam nostris adhuc temporibus concessa sunt. Sed ultius progrediamur et ad iudicem illius competentem perveniamus. Vbi enim domini in familiam conductitiam definit potestas, ibi incipit iudicis. Verum enim vero, quod iudicem illius competentem speciatim adtinet, nihil hic ratione fori contractus, rei sitae, delicti atque continentiae causarum singulare esse, facile intelligimus. Quemadmodum enim forum contractus eo in loco, quo negotium celebratum est, familiam conductitiam sortiri nemo dubitabit; ita etiam forum rei sitae non alio in loco, quam quo res sita est, familia, quae conductitur, nancisci potest. Nec ratione fori delicti familie conductitia diuerso ab aliis iure vtitur, sed illud ibi habet, vbi aut delinquit, aut deprehenditur. Sic etiam res se habet ratione fori continentiae causarum, quippe vbi ea omnia, quae in aliis personis locum habent, commode etiam ad familiam conductitiam applicari possunt.

§. XII.

DE FAMILIAE CONDVCTITIAE FORO
GENERALI SEV DOMICILII.

Maioris momenti forum familiae conductitiae generale seu domicilii, de quo nunc agemus, esse videtur.

B

Tot

10 DE FAMILIAE CONDVCTIT. FORO COMPET.

Tot enim dubiis, tot legib^s inuicem pugnantibus inuolutam esse doctrinam de constitutione et translatione domicilii, vt certis regulis vix comprehendendi possit. LEYSERVS docet ad Pandect. Sp. LXXII med. 1. eamque ob causam cum aliis iudicii potestatem domicilium ex loco et personarum conditione ceterisque, quae circumstant, aestimandi concedendam esse existimat. Cum autem secundum I. 2. C. vbi senat. eo in loco domicilium quis habere dicatur, vbi larem foveat, aut vbi maximam bonorum partem possidet et assidue versatur, consequitur, familiam conductitiam moribus hodiernis ibi regulariter sortiri domicilium, vbi operas suas praefat dominis, maxime cum eo in loco rebus etiam sacris vti maximamque bonorum partem habere et assidue versari soleat. Id quod non solum ratione eius familie, quae eo in loco, quo operas praefat, nata atque educata est, sed illius etiam, quae alieno venit, locum habet, praecipue cum LEYSERVS I. c. med. nseq. ad domicilii translationem nihil amplius requirat, quam vt quis in alio loco per aliquod tempus habiter, res et fortunas suas ibi habeat atque rebus sacris eo in loco vtatur, tametsi ad antiquam sedem subinde iter faciat et emolumentis aliquot ibidem frui perget. Id quod exemplo satis illustri probat. Et hanc sententiam nostram ipa experientia satis superque confirmat. Vnde illos, qui adhuc ancipites haerent dubisque se hac in re extricare nequeunt, res suas sibi habere iubemus. Facit nobiscum PERILL. BOEHMERVS *Dissert. de lare primi fori locatoris in conductorem* §. XVII seq.

§. XIII.

INPRIMIS IN SAXONIA ELECTORALI.

§. XIII.

HIVVS FORI RATIONE SVBICITVR
REGVLARITER IVDICI LOCI
ORDINARIO.

His, itaque praemissis, iam videamus, cui iudici
familia conductitia ratione domicilii subiiciatur. Estau-
tem forum competens familiae conductitiae ratione do-
mlicili regulariter sub iudice ordinario illius loci, quo
operae suas praestare solet dominis, nisi a iurisdictione
iudicis illius ordinarii expressis verbis eximatur, aut vna
cum dominis foro singulari seu privilegiato gaudeat.
STRVVIS Syntagmate iuris civ. exerc IX §.30. Vti enim
quilibet, ita etiam familia conductitia iurisdictionem iu-
dicis ordinarii illius loci, ubi domicilium suum consti-
tutum habet, in omnibus omnino actionibus regulariter
agnoscere debet. *TITIVS iur priu L LX C.XI. §.12.* Cu-
ius rei rationem in natura fori domicilii, quod et ob hanc
causam generale dicitur, stabilitam esse nouimus.

§. XIV.

DE FORO COMPETENTE, FAMILIAE CON-
DVCTITIAE CLERICORVM, VBI DE HIS
AVCTORIBVS AGITVR, QVI FAMILIAM
HANC CONDVCTITIAM AD FORVM
SECVLARE PERTINERE
CREDVNT.

Diximus paragrapho, qui praecessit, forum com-
petens familiae conductitiae ratione domicilii sub iudice

illius loci esse ordinario, quo operas suas praestare solet dominis, nisi a iurisdictione iudicis illius ordinarii ex-preßis verbis eximatur, aut vna cum dominis foro singulari seu priuilegiato gaudeat. Haec tamen regula tot doctorum controversia, tot exceptionibus occasionem praebuit, ut praecipias recensere et examinare non invitile vñsum fuerit. Primo omnium loco videamus, quae de foro competente familiae conductitiae clericorum inter doctores mota sit controversia, quorum aliqui familiam clericorum conductitiam iudici loci ordinario, alii consistorio subesse atque vna cum dominis suis foro priuilegiato gaudere adferunt. Ad primam doctorum classem, qui a partibus iudicis loci ordinarii stant, referendi sunt viri celeberrimi RIVINVS in Enunc. iur. ad tit. IV. Ord. Pr. Sax. enunc. 37. ECKARDT in denen Erklärungen über SCHILTERI infit. iur. can. ad L. I. tit. XIX. §. IV. FLEISCHER in der Einleitung zum geistlichen Recht L. III. C. 4. §. 25. LVDOVICI in Consistorial-Proces C. V. §. 4. STRYKIVS in addit. ad BRVNNEMANNI Tract. de iure eccles. L. III. C. I. §. 12. ROHR in Obersächsischen Kirchen Recht L. I. C. 8. §. 23. TITIVS in iure priu. L. IX. C. 3. §. 9. et iure eccles. L. I. C. VI. §. 31. WARST in Historischen Nachrichten der Sächsischen Justiz-Verfassung Sec. II. C. 5. §. 5. et qui primo omnium loco nominandus erat PERILLVSTRIS BOEHMERVS iure eccles. proteft. L. II. tit. u. §. 43seq. Reliquos, qui ab eorum partibus stant, quos modo recensuimus, breuitatis studio silentio praeterimus.

§. XV.

§. XV.

DE ILLIS AVCTORIBVS, QVI CLERICO-
RVM FAMILIAM CONDVCTITIAM FORO
ECCLESIASTICO SVBESSE DEBERE
EXISTIMANT.

Minime tamen desunt doctores, qui contrariam huic opinioni fouent sententiam. Nubem enim illorum auctorum facili negotio afferre possemus, qui familiam clericorum conductitiam a iurisdictione seculari eximendam eamque consistoriorum potestati subiiciendam esse defendunt. Sed, vt praecipuos saltim nominemus, referendi huc sunt viri celeberrimi BEYERVS in addit. ad CARPOVII iurispr. eccles. L. III. def. 6. SCHILTERVS in instit. iuris can. L. I. tit. 18. §. 8. ERVNEMANNVS in tractatu de iure eccles. L. III C. I. §. 12. TABOR in Tractatum Vol. I. de Hoplophoria C. III. MARTINI in comment. for. ad Ord. Pr. Iud. Sax. tit. XI. §. 2. n. 352. WERNHERVS in obs. forens part IV. obs. XII. MEVIVS in decif. part. II. decif. 173. HEIGIVS P. II. quaeß. 25. n. 22. et KLOCKIVS denique Tbm. I. conf. 39. n. 44. Praecipue eorum rationes, quibus moti, hanc defendere audent sententiam, sunt sequentes; primum quia lege 2. §. 1. C. de episc. et cler. haec opinio fundata sit, deinde quoniam illa plurimorum locorum confuetudini responderet videatur, post quia priuilegia, quae dignitatis respectu concessa sunt, ad priuilegiatorum dominorum ministros quoque extendi debeant, et denique quia haec eorum sententia auctoritate multorum doctorum munita sit.

§. XVI.

QVAENAM SENTENTIA PRAEFECTA
RENTA SIT?

Sed salua omnino eorum res est, qui a partibus iudicis secularis stant. Nam in L. 2. § 1. seq. C. de Episcopis et Cler. de mancipiis clericorum sermo est, quae ut res aliae in eorum dominio erant, et eadem a collectis gaudebant immunitate, qua bona clericorum reliqua. Neque etiam nullum verbum de clericorum priuilegio fori hac lege reperitur, sed de immunitate a collectis ibi sermo est, qua, ut modo diximus, clericorum mancipia ita, ut bona eorum reliqua, gaudebant. Quid? quod tempore Constantini et Iuliani imperatorum, qui hanc legem anno post Christum natum tricentesimo quinquagesimo septimo emiserunt, familia conductitia, ut ea nostris moribus introducta est, apud Romanos nondum satis in usu fuerit.
 PER ILLVSTR. BOEHMERVS in iure eccles protist. L. II. tit. II. §. 43. ECKARDT in denen Röcklährungen über SCHILTERI inflit. iur. can ad L. I. tit. XIIIX §. IV. Quid vero locorum adtinet consuetudinem, hanc magis pro foro seculari quam ecclesiastico militare satis notum est, ut huc multis docent FLEISCHER in der Einleitung zum geistlichen Recht L. 3. C. 4. §. 25. TITIVS in geistlichen Recht L. I. C. VI. §. 30. et STRYKIVS in Addit. ad BRVNNEMANNI trah. de iure eccles. ad L. III. C. I. §. 12. Nec etiam priuilegia, quae strictae interpretationis sunt, ad alias personas, praecipue personalia, transire possunt, nisi priuilegiato alias invitilia sint, id quod tamen in priuilegio fori, quo gaudent clerici, cessat, cum illud priuilegium his utile sit, licet familia eorum conductitia eodem non gaudeat. BOEHMERVS

MERVIS l. c. §. 43. LAVTERACHIVS in collegio theor. pratz.
L. I. tit. IV. §. 29. Licet denique magnam doctorum multitudinem sententiam illam, qua consistorii iurisdictio in familiam clericorum conductitiam adseritur, amplecti videamus, tamen non auctoritate doctorum, sed rationibus pugnandum est, et si etiam auctoritate pugnare vellemus, maius tamen sententia nostra doctorum inueniet patrocinium.

§. XVII.

QVID VLTERIVS PRO HAC SENTENTIA
 CONFIRMANDA ADDVCI
 POSSIT?

Ad haec insuper pro confirmanda sententia nostra accedit, quod causam fori clericorum priuilegiati dignitatem muneris eorum esse constet, ne scilicet illi, qui muneribus ecclesiasticis vacant, in foro omnibus communis litigare ac plebis conuersationi se exponere cogantur, vti hoc adserunt CARPOVIVS in decif. illustr. Sax. P. III. dec 217. et ECKARDT in denen Erklärungen über SCHILTERI Instit. iur. can. ad L. I. tit. XIX. §. 4. Vide etiam Ord. eccl. Sax de anno 1580. in COD. AVG. Vol. I. p. 534. sibit tit. von immunit. und Freyheiten der Kirchen- und Schuldienner. Hanc autem causam in familia eorum conductitia cessare, quis est qui non videat? Nec etiam silentio praetereundum est, forum illud clericorum privilegium ratione familie eorum conductitiae nec in iure canonico, nec in iure ecclesiastico hodierno, principiue ratione Saxoniae Electoralis, esse fundatum.

ECKARDT l. c. FLEISCHER im geistlichen Recht L. 3. C. 4.

§. 25.

§. 25. Nec denique familia clericorum conductititia dominis suis ut clericis, sed ut patribus familias praestare solet seruitia, quae non sacra, sed civilia esse inter omnes constat. vid. ECKARDT l. c. Haec igitur omnia, quae modo diximus, nos adducunt, vt hanc regulam apponere nulli dubitemus: *Familia clericorum conductititia tamdu in foro seculari conueniri potest*, donec ex speciali privilegio eidem concessa, vel ex consuetudine loci aliud doceatur.

§. XVIII.

VTRVM CLERICORVM FAMILIA CONDVCTITIA IMMEDIATE AN MEDIANTE REQVISITIONE CONSISTORII CITANDA SIT?

Huic materiae, de familiae scilicet clericorum conductitiae foro competente, coronidis loco hanc adiungere liceat quaestionem: vtrum familia clericorum conductititia a iudice loci seculari immediate, an mediante subsidiaria citatione in ius vocanda sit? Posteriorius quidem defendantum sibi sumvit RIVINVS in Enunciat. iur. ad tit. IV. ord. Pr. Sax. enunc. 37. aliique. vid. WABST in historischen Nachrichten von der Sächsischen Justiz - Verfassung sect. II. cap. V. §. V. Sed ex his, quae ratione fori competentis familiae clericorum conductitiae paragraphis praecedentibus in medium allata sunt, facili negotio sententiam contrariam, quod scilicet familia clericorum conductititia immediate citari possit, elucidare existimamus. Et licet quis hoc nobis mouere possit dubium, quod aedes parochiales, quas inhabitare solet familia clericorum conductititia,

titia, iurisdictioni consistoriorum subesse videamus, tamē, etiamsi hoc, quod omni dubio non caret, concedamus, citatio extra has aedes parochiales in loco quodam tertio familiae clericorum conductitiae insinuari poterit. Praeterea ei, cui ius est ad finem obtainendum, etiam ius esse debet ad media, sine quibus finis commode obtineri nequit. Dum igitur leges vel mores familiam clericorum conductitiam iudici seculari subiiciunt, procul dubio in ipsis aedibus parochialibus *immediate* insinuationem citationis fieri permittunt arg. l. 2 ff. de Iurisdic. Idque sanctum est in Ordin. Eccles. Brunsvicensi P. I. c. 14. §. 3. modo antea de citatione certiores reddantur domini. Was aber ihr (der Prediger) *Gefinde und Haugenosſen anlanget*, bleiben selbige zwar der weltlichen Iurisdiction unterworfen, es soll jedoch, wenn dieselben sive civiliter sive realiter zu ciuiren, die Nathwendigkeit erfordert, solches denen Präiern vorher angemeldet werden. Quibus omnibus accedit, quod constitudines plurimorum locorum hanc sententiam nostram confirmare videamus.

§. XIX.

DE FORO COMPETENTE FAMILIAE CONDVCTITIAE ACADEMICORVM.

Sed missam hanc, quam modo tractauimus, facimus materiam aliquamque, quae vinculo quodam cum hac cohaerere videtur, pertractemus, scilicet quoniam sit familiae academicorum conductitiae forum competens? Originem iurisdictionis academicae ex *authentica Habita C. Ne filius pro pare doctores deducere solent. LEYSER ad Pand. Sp. LXXVII. TITII geiſſlich Recht L. IV. cap. VI. §. 3r.*

C

Sed

Sed iurisdictio, quae ex citata authentica deducitur, mutato statu Germaniae, valde etiam immutata fuit vid. *WABST* in *historischen Nachrichten von der Sächsischen Justiz - Verfassung Sect. II. cap. X. §. 2.* Postea enim quam academie in unum corpus coaluerunt nomenque universitatum inde adsumere, iurisdictionem per proprium magistratum in ciues academicos exercere incepunt. Quae tamen iurisdictio non vbiuius locorum eadem est, sed ex priuilegio, eius ratione concessso, diuidi debet. Cum autem academicici eodem modo, quo clerici, foro priuilegiato gaudeant, vid. *ENGAV* in *Iur. Can. L. II. tit. XX. §. 324.* ideoque ultra eorum personas, vxores et liberos non sit extendendum, eadem quoque regula, quae ratione fori familiae clericorum conductitiae valuit, hic locum inueniet, quod scilicet familia academicorum conductititia tamdiu coram senatu oppidano, qui iudex loci ordinarius esse solet, conueniri possit, donec ex speciali priuilegio, huic induito, vel ex consuetudine loci aliud doceatur. Et licet *CARPZOVIVS* dec. VIII. n. 17. hominum litteratorum ordini studiosorum famulos etiam accensere videatur, tamen hoc ab eo certo saltim respectu dictum esse intellectu non est difficile.

§. XX.

IN PRIMIS RATIONE ACADEMIAE
LIPSIENSIS.

Solent interdum etiam, vt omnis plane ratione iurisdictionis evitetur controuersia, inter senatum oppidanum atque magistratum academicum certa iniiri *compagata*, quibus omnes casus, qui dubium aliquod excitare possint,

possint, deciduntur. Illustre huius rei exemplum praebent compactata illa, quae inter celebrem, quae Lipsiae floret, academiam atque splendidissimum huius ciuitatis senatum inita sunt, quibus inter alia iurisdictio in familiam ciuium academicorum conductitiam senatui oppidano confirmata est. Verba praecipue ea, quae §. IX. in compactatis nouissimis de anno MDCXXI, mihi ex singulare benevolentia ad inspiciendum propositis, reperiuntur, hoc loco addueamus. Sunt autem huius tenoris: *Derer professorum und anderer Vniverſitäts - Verwandten Knechte, Mägde, Famuli und Bediente, die nicht studiren, ſieben unter eines Edlen Raths Gerichtsbarkeit* (*). His atque reliquis compactatis, quae inter magistratum academicum senatumque ciuitatis Lipsiensis ratione iurisdictionis celebrata sunt, per legem publicam magnus accessit pondus. In CODICE enim AVGVSTEO Tom. I. pag. 241. verba sequentia reperiuntur: *Die Vniuerſität und Rath ſollen denen compactatis nachleben, und einander nicht in die iurisdiction greifen*, vid. WABST in historischen Nachrichten von der Sachſischen Juſtiz - Verfaſſung Sect. II. cap. X. §. 4.

C 2. §. XXI.

(*) Aliud obtinet in Academia Halensi, cui concessa est iurisdiction §. III. et XVII. Priuileg. in Professorum, studiosorum omniumque ciuium academicorum familiam conductitiam. Idemque Priuilegium indultum est Academiae Göttingensi, ubi §. IV. Priv. dicitur: *Der Vniverſität Jurisdiction ſollen Professores, studioſi &c. in ſpecie auch die unter der Vniverſität ſiebende Handwerks - Freymeiſtere, NEBST IHREN FAMILIEN VND GEŠINDE, unterworffen ſeyn.*

§. XXI.

DE FORO COMPETENTE FAMILIAE
CONDVCTITIAE PRINCIPVM
APANAGIATORVM.

Sed iam alio nos dicit disputationis filium nouamque tractandi monstrat materiam, quodnam scilicet forum sit competens familiae principum apanagiatorum conductitiae? Sane si ipsorum principum, quos apanagiatos vocant, forum competens consideramus, magnum iuris publici doctorum circa illud inueniemus dissensum. Multi enim hos principes superioritati territoriali subesse cosque ciuium in classem referri debere existimant, licet illos ob illustrem, qua fulgent, dignitatem arctamque, quae eis cum domino territorii plerumque intercedit cognitionem, iurisdictioni domini territorialis immediate subiiciendos esse statuant **TITIVS** in Specim. iur. publ. L. IV. c. 9. §. 3. **VITRIARIUS** Iure Publ. L. III. T. 17. §. 14. et 15. **STRUVIVS** Iuris. Publ. Prud. C. XXIV. §. 10. C. XXVII. §. 11. **LVDEWIG** ad A. B. Tit. XXV. §. 5. p. 546. **LIMNAEVS** in Iure publ. L. 4. cap. 8. n. 186. Alii contra principes apanagiatos a iurisdictioni domini territorii, in quo commorantur, plane eximendos esse existimant de **COCEII** Iur. Publ. cap. 27. §. 15. **LVDOLF** de Iure feminarum illusfr. P. I. §. 19. Sed nihil ad nos controuersia illa. Aut enim principes apanagiatos iurisdictioni principis territorii subicias, aut eos ab hac eximas, eorum tamen familiam conductitiam huic subesse tam certum est, quam quod certissimum. Si enim principes illi apanagiati in castro quodam sedent, tunc eorum familia conductitia iurisdictioni praefecti, et, si in oppido com-

moran-

morantur, senatus illius ciuitatis potestati subiicitur (*). Sermo autem hoc loco est de principibus, qui apanagio proprio gaudent, si enim in proprio seu paragio, uti a iuri publici doctoribus vocari solet, gaudent, propria que exercent iuri dictiōnē, tunc eos ipsos familiae conductitiae suae esse iudices, negandum non est. PERILL.
BOEHMER *Consul. et dec. T I P. I. Rep. 19. n 27. et 31. HER-*
TIVS de Comment Apanag. et Parag. dislind. § XII. MASCO-
VII princ. iur. publ. L. VI. C. V. §. 14.

§. XXII.

DE FORO COMPETENTE FAMILIAE
CONDVCTITIAE AVLICORVM.

Transimus ad forum competens familiae aulicorum conductitiae. Licet vero §. XIII. dictum sit, forum competens familiae conductitiae sub iudice illius loci esse ordinario, quo operas suas praestare solet dominis, tamen huic regulae limitationem adiecimus, nisi a iurisdictione

C 3

iudi-

(*) Existimat quidem LVDEWIGIVS *Conf. Hal. T. II. L. II.*
Conf. 108. n. 5. et Conf. m. n. ii. apanagiatos exemptos esse a principis regentis iurisdictione, ideoque iustum esse, ut familia conductitia gaudeat praerogativa eadem dominisque ius primi fori in illam competit. Sed nemo non vider, falsum esse consecutionis filum. Quomodo enim iurisdictionem exercere possent, qui eam non habent, nullorumque iuriū territorialium participes sunt? Ut raseamus, ipsum LVDEWIGIVM, saepe in doctrinis iuri publici trocho versatiliorem, alibi et in primis ad A. B. c. p. 540. principes apanagiatos sub iecisse iurisdictioni principis regentis.

22 DE FAMILIAE CONDVCTIT. FORO COMPET.

iudicis illius ordinarii expressis verbis eximatur, id quod ratione familiae aulicorum conductitiae locum inueniet. Plerisque enim in locis familia conductitia aulicorum, *der würklich in Diensten stehenden Hof-Bedienten*, ab omni iudicis loci ordinarii potestate eximi forumque peculia-re quoddam fortiri solet. Exemplum huies rei praebet Saxonia Electoralis, qua familia aulicorum conductitia ab omni senatus Dresdenis iurisdictione vna cum domini-s suis exempta est atque forum suum competens coram praefecto huius ciuitatis fortitur. vid. WABST in der historischen Nachricht von der Sächsischen Justiz-Verfassung Sect. II. C.I. §. VI. Quod autem familiam ipsius principis conductitiam attinet, quorum refero die Laqueys, Heyducken, Läuffer, Mohren, Stubenheitzer und andere mehr, hanc in Saxonia nostra mareschallo, dem Hof-Marschall-Annte subiectam esse docet WABSTIVS libro allegato Sect. II. C. VII. §. XVI.

§. XXIII.

DE FORO COMPETENTE FAMILIAE CONDVCTITIAE NOBILIVM, QVI IVRIS-DICTIONE PATRIMONIALI GAVDENT.

Noua iam oritur quaestio, quae maioris momenti atque controuersiae res esse videtur. Iam enim indagare nobiscum constitutum habemus, quodnam sit forum competens familiae conductitiae nobilium, qui patrimoniali gaudent iurisdictione? Si autem, quid sentiamus, dicendum est, familiam nobilium conductitiam dominorum

norum suorum iurisdictioni subiiciendam esse statuimus. Atque haec res ita se habet, licet aut alius, aut ipse nobilis familiam suam conductitiam actione conuenire vellet. Nobiles enim subditos suos coram proprio iudicio conuenire posse testatur *WABSTIVS in der historischen Nachricht von der Sachsischen Justitz-Verfassung Sed. II. C. XI. §. 8. vid. Ord. Pr. Sax. Recogn. ad Tit. II. §. 3.* Continetur autem numero subditorum familia etiam nobilium conductitia, cum regulariter sub eorum iurisdictione constitutum habeat domicilium. Quod ostendimus §. XII. Neque facit ad rem eorum, qui dissentient, quod hoc modo dominus familie conductitiae simul etiam iudex illius sit. Idem enim ratione familie praefectorum conductitiae accidere videmus, quae coram dominis suis, qui simul sunt iudices, saepissime conueniuntur. Omnis enim, qui non exemptus est, iudicis loci, ubi domicilium constitutum habet, forum agnoscere debet. Cum igitur familia nobilium conductitia a iurisdictione iudicis loci, quo domicilium habet, minime sit exenta, omnino forum illius agnoscere debet. *BERGERVS quidem Oec. Iur. L. IV. t. 3. §. 2. n. 4.* familiam nobilium conductitiam *delicti vel contractus* tantum ratione dominorum suorum iurisdictioni subiectam esse existimat. Sed salua omnino res est. Auctoritate enim *CARPZOVI* ille nititur, qui *P. IV. C. 43. def. XI.* de filiis nobilium tantum loquitur, quos hanc ob causam a iurisdictione paterna eximit, quia pari cum patre fruantur dignitate, hanc autem rationem respectu familie conductitiae cessare, quis est, qui non videat? Sed nec *STRYKIVS Vsu Mod. Pand. L. II. t. 1. §. 30.* nobiscum facere videtur, dum familiam nobilium conductitiam a iurisdictione dominorum suorum

rum eximit. Sed cum ille de ea familia conductitia loquatur, quae alibi habet domicilium, die außerhalb denen adelichen Höfen in des Amtes Jurisdicition wohnet, nos autem ibi familiam conductitiam regulariter domicilium habere existimemus, vbi operas praefat dominis suasque res habet, a partibus nostris stare minime potuit. Et ex eadem ratione WABSTIVS etiam familiam nobilium conductitiam, spontaneam scilicet, nam de coacta idem nobiscum sentit, a iurisdictione dominorum suorum eximere videtur in historischen Nachrichten von der Sächsischen Justiz-Verfassung Sez. II. C. XI. §. VIII.

§. XXIV.

NOVVM ALIQVOD DVBIUM, QVOD
SIMVL SOLVITVR.

Restat adhuc dubium quoddam, quod ex lege 10. f. de Iurisd. illi mouent, qui sententiae nostrae non addunt calculum. Verba legis haec sunt: *Qui iurisdictioni praefest, neque sibi ius dicere debet, neque uxori, vel liberis suis, neque libertis, vel caeteris, quos secum habet.* Verum enim vero habemus omnino, quid ad hanc legem respondeamus. Verba enim ultima, quae in primis huc faciunt, de familia conductitia loqui, nondum satis constat, praecipue cum tempore Vlpiani, huins legis auctoris, familia conductitia nondum adeo in usu fuerit. Sed concedamus etiam, de ea ibi sermonem esse. Quid inde? Sane, si huius legis interpres consulimus, omnino ei, qui iurisdictioni praefest, (fermo autem hic non est de patre nobili, sed de magistratu quodam prouinciae, vel ciuitatis) hanc in uxorem

rem, liberos atque reliquos hac lege comprehensos iure Romano adtribuunt, licet ipse hoc casu non possit ius dicere, sed alii iurisdictionem mandare debeat. *arg. l. i. §. 1. 3. ff. de offic. eius cui mand. iurisd. l. 16. et 17. ff. de iurisdict.* Frustra enim alias hac lege quaereret Vlpianus, vtrum possit ille, qui iurisdictioni praefest, his personis ius dicere, si non haberet in eas iurisdictionem. *vid. MOD. PISTORIS p. IV. quaeſt. 109. CARPZOVIUS P. IV. constit. 43 def. u.* Et hanc iuris Romanii dispositionem cum Saxonie Electoralis legibus quodammodo conuenire notum est, quibus dominus subditos suos coram proprio iudicio in ius vocare quidem potest, vti paragrapo praecedente diximus, ius vero ipse hoc casu dicere non debet, sed acta ad collegium quoddam iuridicum ferendae sententiae gratia transmittere necesse habet. *vid. ORD. PR. RECOGN. ad Tit. 2. §. 3. et ad Tit. 34. §. 1.*

§. XXV.

DE FORO COMPETENTE FAMILIAE MILITVM CONDVCTITIAE.

Iam quaedam etiam de foro competente familiae conductitiae militum, eorum scilicet, qui ordines ducent, in medium proferamus. Quodsi in forum competens ipsorum praefectorum militum, eorum nimirum qui munere adhuc militari funguntur, inquirimus, hos foro militari in Saxonia subiectos esse reperiemus. *vid. COD. AVG. Tom. I. p. 1200.* Sed quodnam familiae eorum conductitiae forum est competens? Si regulam §. Xlll. positam consideramus, hanc iudici loci ordinario, quo operas suas praefat dominis, subiicien-

D

dam

dam esse constat. Verum enim vero familia haec militum conductitiae ab eius iurisdictione expressis verbis in Saxonia exenta foroque militari vna cum dominis subiecta est. *vid. COD. AVG. Tom. I. p. 1200.* Id quod tamen solum ratione familiae conductitiae, quae in castris dominis operas praefstat, locum habet. Reliquam enim, quod attinet, *so ihnen nicht im Felde Dienste thut*, iudici loci ordinario subiectam esse constat. *vid. COD. AVG. l. c.* Neque forum illud militare ad vxores atque liberos famulorum mercenariorum extendi posse docet mandatum regium de anno 1718. §. 9. *in COD. AVG. l. c. et LVNIGII Corp. Iur. Milit. p. 856.* Illos autem militum praefectos, qui honeste dimissi militia vacant, ratione fori iure schriftissiorum in Saxonia vti notum est. *vid. COD. AVG. Tom. I. p. 1198. et DN. PRAES. Manud. ad Proc. Milit. C. II. §. 13.* Quod tamen ad eorum familiam conductitiam minime pertinet, quippe quae iudicis loci ordinarii iurisdictioni in Saxonia omnino subiicienda est. *vid. cit. mandat. reg. de anno 1718. §. 8. in COD. AVG. Tom. I. p. 1200.*

§. XXVI.

DE FORO COMPETENTE FAMILIAE CONDVCTITIAE LEGA- TORVM.

Restat, ut quaedam etiam de foro competente familiae conductitiae legatorum adiiciamus. Magna quidem inter doctores ratione fori ipsorum legatorum orta est

est controversia, eorum tamen, me quidem iudice, ve-
rior videtur sententia, qui legatos, quos sanctos et in-
violabiles iure gentium habemus, a iurisdictione prin-
cipis, ad quem missi sunt, eximendos eique a quo mis-
si, subiiciendos esse iudicant, cum aequalis in aequa-
lem nullum habeat imperium eumque punire minime
possit. *vid. WICQUEFORT dans l' Ambassadeur L. I. Sect.*
28. HVBERVS de iure ciuitat. Lib. III. Sect. IV. C. 2. §. n. seq.
P. MULLERVS de resident. C. VI. WINCKLERVS de iure
nat. p. m. 312. GROTIUS de iure Belli et Pacis L. II. C. 18.
WEIDLERS in insit. iuris nat et gent. C XI. Sect. II. §. 41.
BYNKERSHOEK de Foro legatorum C. V. Nec tamen eo-
rum, qui alter sentiunt, omnique legatos reipubli-
cae, ad quam missi sunt, et illius imperantium iurisdi-
ctioni subiiciunt, plane spernenda est sententia. *vid.*
FLEISCHERI diff. de iur. et iud. comp. legat. C. I. §. 13.
KRAVSIUS de iurisd. in legat. Stat. eorumque comites §. 38.
Quod autem forum familiae legatorum conductitiae ad-
tinet, illi, qui ipsos legatos nulli eius iudicio, apud
quem legatione funguntur, obnoxios censem, eorum
quoque familiam conductitiam a iurisdictione loci, vbi
degit, eximunt, eodemque cum legatis priuilegio hac in
re vti ex iure accessorii aliisque ex rationibus statuunt.
vid. WICQUEFORT l. c. HVBERVS l. c. §. 17. P. MUL-
LERS l. c. CHR. THOMASIVS in iurispr. div. l. 3. c. 9.
§. 83. GROTIUS l. c. §. 8. WEIDLERS l. c. §. 46. WINCK-
LERVS l. c. p. m. 316. Nec tamen legatis, nostro iudicio,
facile in familiam conductitiam maiora iura vindicari
poterunt, quam que alias patribus familias competunt,
dissentiente licet WILLEMBERGIO. *Dissert. de iurisd. legat.*
in comites suos C. II. §. 4. Nemo enim in alterius territo-

rio iurisdictionem, quae ad regalia pertinet, sine concessione domini territorii exercere potest. *vid. CHRIST. THOMASIVS l.c. §. 85. HVBERVS l.c. WICQVEFORT. l.c. GROTIUS l.c. WINCKLERVS l.c. p.m. 317.* In delictis igitur grauioribus iisque rebus, quae proprie ad iurisdictionem pertinent, ipsi legati cognoscere sententiamque exequi nequeunt; sed ad principem, a quo legati missi sunt, familiam conductitiam, ut puniatur, remittendam esse, plerique existimant. *vid. HVBERVS l.c. WINCKLERVS l.c. Quid tamen sine consensu principis eius, apud quem legatione funguntur legati, non facile fieri solet. BYNKERSHOEK l.c. C. XV et XX.*

§. XXVII.

QVID AMPLIUS DE HOC FORO NOTANDVM?

Ea, quae modo diximus, vsu quidem inter gentes, saltem moratores, seruari videmus. Interdum tamen in *admissione* aliud inter principes transfigitur. Cui omnino standum esse nulli dubitamus. Neque etiam legati, si per aliorum principum, ad quos non missi sunt, territoria transeunt, iisdem iuribus et immunitatibus, quae legatis alias competunt, vti possint, nisi principes illi de transitu cum his conuenierint. *vid. GROTIUS l.c. §. 5. WICQVEFORT l.c. L. I. Sect. 29. THOMASIVS ad Huberum de iure ciuit. L. 3. Sect. 4. C. 2. §. 20. n. g. WINCKLERVS l.c. p. m. 318.* Nec id denique silentio praetereundum est, quod familia legatorum conductitia, si in flagranti maleficio deprehenditur, a iudice loci, ne scilicet euadat, apprehendi possit, ad legatum vero

vero deinceps duci soleat, a quo, vt delinquens ad puniendum tradatur, iudex loci interdum petere solet. *vid. WEIDLERVS l. c. §. 48.* Accidit enim saepe numero, vt ipſi legati familiam suam delinquentem iudici loci, vbi degunt, ad puniendum relinquant, id quod *WICQUEFORTVS l. c. l. i. Seſt. 28.* exemplo satis illustri probat. Quo cum facit *BYNKERSHOEK l. c. C. XX. p. m. 309.*

§. XXVIII.

FINIS HVIVS DISSERTATIONIS.

Sed coronis imponenda est dissertationi nostrae. Cauendum enim, ne, plura adferendo, limites disputationis egredi videamus. Generalia saltim haec sunt, quae de materia *fori competentis familiae conductitiae* hac dissertatione in medium protulimus. Quod si quis autem est, qui specialia huius materiae desideret, ille statuta singulorum locorum eorumque consuetudines vt consulat, necesse habet. Specialia enim, quae a nobis huc atque illuc prolatâ sunt, Saxoniam Electoralem praecipue respiciunt. Loca deinde illorum auctorum, quorum nomina hac dissertatione reperiuntur, ipsi omni adhibita diligentia euoluimus, ne scilicet, vt saepissime fieri solet, ea adducantur, quae aut plane non, aut saltim alio in sensu apud citatos auctores reperiuntur.

F I N I S.

D 3

CON.

CONSULTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. D.
PRAESES.



Them a forense est, quod tibi selegisti ad defendendum in conflictu inaugurali. Tot enim saepe dubiis inuolutae sunt lites, quae de foro competente famiae conductitiae excitantur, vt opus sit iudice prudenti et circumspecto ad eas decidendas, in primis si reus actione personali pulsatus, se alibi constituisse domicilium excipiat ideoque actorem remittendum esse contendat ad forum domicilii, si a lite desistere nolit. Igitur iudicis est, in id inquirere, an ea mente in aliquo loco habitauerit, vt rerum suarum sedem ibidem figere voluisse ex circumstantiis colligi possit. Quid enim, si ius ciuitatis adeptus fuerit domumque sibi comparauerit, posteaque alibi operas temporarias conductori praefet, aut praedia ad tempus conduixerit, nec renunciet iuri ciuitatis, nec aedes vendat? Quis quaeso

quaeso mutationem domicilii præsumeret?
Idem proculdubio obtinebit, si aedes condu-
ctas inhabitauerit, sed continuet conductionem
illasque vel aliis sublocet, vel vxori liberisue in-
habitandas relinquat? Hinc recte apud LEY-
SERVM (a) responderunt ICti Helmstadienses:
*Es kommt auf das arbitrium iudicis an, was vor
Umständen und indicia er ad præsumendam mu-
tationem domicilii vor hinlänglich achten wol-
le, ipseque LEYSERVUS (b) bene monuit, animum
mutandi domicilium eo ipso satis declarari, si
quis in aliquo loco habitet, res et fortunas ibi-
dem habeat sacrisque vtatur, nec aliam cau-
sam, ob quam ibi versetur, adferre posit. Sed
hanc allegare potest, qui ex causa temporaria
in aliquo loco commoratur. Non solum ve-
ro hae lites aguntur, si de foro competen-
te quaeritur, sed etiam tunc excitantur, si
is, qui per plures annos operas locauit do-
mino, vel praedium aliquod conduxit, fini-
to contractu, cum bonis fortunisque, duran-
te contractu adquisitis, alio migret ab eoque
census emigrationis exigatur. Quo casu ICti
Helmstadiensi festeste LEYSERKO (c) subiecerunt
censui*

(a) *ad Pand. Spec. LXXII. med. 1.*

(b) *I. c. med. 3.*

(c) *Spec. CCXVI. med. 6. Licer vero LEYSERVUS existimet,*

ME VIVM

censui conductorem, his moti rationibus: *Al-*
dieweil an den Orten, wo das Abzugs-Recht ein-
geführt ist, ein iedweder, welcher freymwillig
von dannen ziehet, und seine Wohnung in ein
ander Land transportiret, den Abzug erlegen
muß, folglich ein bloßer Einwohner, ungeach-
tet er das Bürgerrecht nicht erlanget, dazu
verbunden ist, und dann ein Pachter, der mit
seiner Familie und Vermögen, an dem Orte der
Pacht sich aufhält, daselbst sein domicilium
hat und, außer den die Pacht selbst betreffenden
Streitigkeiten, der ordentlichen Gerichts-
barkeit, gleich andern Einwohnern, unterworfen
lebet, also denen gewöhnlichen Beschwe-
rungen und von seinem eigenen Vermögen zu
entrichtenden Anlagen sich nicht entziehen
mag etc. So halten wir dafür, daß der Amt-
mann Reiche sich vermittelst des Vorwandes,
dass

ME VIV M P. VII. Dec. 365. haud contendere, immunem
esse conductorem ab onere decimarum, sed saltem hanc
quaestionem tanquam altioris indaginis remittendam
esse ad proceßum ordinarium; tamen ex ipsis ME VII
verbis contrarium adpareat. Liberat enim a censu emi-
grationis omnes eos, qui ex temporali causâ in ciuitate
morantur, citra istam non fixuri sedem. Quod vero
remiserit quaestionem ad proceßum ordinarium fecit
ideo, quia Senatui urbano censum exigenti onus pro-
bandi incumbebat, conductorem Pharmacopoli in ci-
uitate constituisse domicilium.

dass er nur ein Pachter gewesen, von dem Abzuge nicht befreyen könne. Sed aliter res cedit itemque secundum conductorem dede-
runt Icti Wittebergenses (d), additis ratio-
nibus: *Dieweil der Abzug, Nachfeuer, oder
Abschöss, so ratione emigrationis lege, statu-
to, vel consuetudine an einem Ort hergebracht
und eingeführet, regulariter nur von denenien-
nigen, welche ihr domicilium und iura ciuita-
tis daselbst cum animo perpetuo commorandi
gehabt, nicht aber von denen, welche sich ex
temporaria commorationis caussa an dem Ort
begeben und daselbst geraume Zeit gewohnet,
noch von den dahin gebrachten, nicht daselbst
gewonnenen Baarschafften und Fahrniß exigi-
ret werden mag, und daher kein Pachter, der
an einem Ort Güter gepachtet und lange Zeit in
solchem Pacht geblieben, bey seinem Abzug,
wenn er gleich in ein fremdterritorium sich wen-
det, von seinen darin gewonnenen, oder in
die verpachtete Güter gebrachten beweglichen
Vermögen den Abschöss oder Nachfeuer zu ent-
richten anzuhalten. In mehrern Betracht, nach
einhelligen Schluss der Rechtslehrer, das Funda-
ment des Abzugs auf der mutatione domicillii
lediglich beruhet, denen nur die ciues und in-*

E

CO-

(d) apud WERNHERVM Select. Obs. P. IV. Obs. 125.

colae, so domicilium an einem Orte constitui-
ret, unterworffen, derjenige Fremde aber,
welcher an einem Orte gewisse praedia auf ge-
wisse Zeit gepachtet und darauf seine Wohnung
genommen, dadurch an dem Ort der Pachtung
und solcher Wohnung kein domicilium erlan-
get, meder ciuis, noch incola, noch auch denen
legibus aut statutis loci subiiciret wird, als
wozu die bloße Wohnung und der contractus
locati conducti nicht genug, sondern animus
perpetuo ibi commorandi erfodert wird, den
ein Pachter, dessen Pacht nur auf gewisse
Jahre gehet, wenn er auch offters, nach geendigten
Pacht Jahren, reconduciret, nicht ha-
ben kan, da nicht in eius arbitrio beruhet, be-
ständig und perpetuo beym Pacht zu bleiben,
sondern bey dem Verpachter lediglich stehtet ob,
wann er auch, nach vielmahl geendeten Pacht-
Jahren, zu reconduciren verlanget, nicht aber
zu dem, damit ein anderer ihn übersetzt, sich
offeriret, er von neuem mit ihm schliessen wolle,
oder nicht, ieder auch nach geendeten Pacht-
Jahren, das Recht hat, so viel pro locario zu
bieten, dass der alte Pachter ohne Schaden
ihme sich gleich zu setzen nicht möglich findet,
welchem allendie Halberstädtische Constitution
von 8 Febr. 1685 beypflichtet, indem nach der-
selben nur von derer Stände angesessenen Un-
tertha-

terthanen der Abzug zu fodern etc. So ist etc.
Palmariae rationes LEYSERI huc redeunt,
quod census emigrationis in iis locis, vbi lege
vel consuetudine obtinet, ab omnibus ciuibus
et incolis alio migraturis adeoque etiam a con-
ductore, *quia domicilium in loco conductionis*
babet, solui debeat. Sed facile intelligitur, id
praeponi a LEYSERO, quod probandum erat,
scilicet conductorem in loco conductionis ha-
buisse domicilium. Nunquam enim animus
constituendi domicilium praesumi potest in eo,
qui ex causa temporaria in aliquo loco com-
moratur. In quo ipsum virum eximum con-
sentientem habemus, dum animum constituen-
di domicilium ex circumstantiis indicisque su-
pra adductis tunc colligi posse existimat, si
aliam caussam, ob quam ibi versetur, adlegare
nequeat (e).

Haec sunt, CONSULTISSIME DOMINE
CANDIDATE, quae speciminis loco adduxi,
ad ostendendum, TE operam bene collocasse,
dum in pererudito opusculo Tuo in id inquisi-
visti cum cura, an et quando familia condu-
ctitia in eo loco, vbi operas locauit dominis,
domicilium habere censeatur? Reddidi TIBI
opusculum, vti illud mihi tradidisti, nihilque

E 2 adie-

(e) Supra cit. Spec. LXXII. med. 1.

adieci, praeter notulas duas, aut tres, vt TIBI
soli vindicare possis hunc ingenii Tui foetum.
Et si forte in quibusdam alia mihi sedeat sen-
tentia, nolui tamen TIBI eripere libertatem,
sentiendi scribendique ea, quae vera esse credis,
motus rationibus in medium prolatis. Facile
defendes sententiam Tuam in arena inaugura-
li, et ita excipies tela aduersariorum, vt victo-
riam TIBI promittere possis. De quo eo minus
dubito, cum in utroque examine ostenderis,
TE solida sane iurisprudentiae cognitione esse
imbutum et in celeberrima Academia Lipsiensi
Regiaque Fridericana tanto fecisse profectus,
vt iure optimo merueris summos in utroque
iure honores, quos TIBI, me promotore, au-
toritate imperatoria et regia proxime confe-
ret inclitus Iureconsultorum ordo in hac Fri-
dericana. Ego TIBI ex animo gratulor hosce
honores Deumque rogo, vt TIBI omnia ex vo-
to cedere iubeat. Vale mihi que faue. Scrib.
in REGIA FRIDERICIANA IIII Kalend. No-
vembr. A. O. R. CCCXXXVIII.

HALAE MAGDEBURGICAE
IMPRIMEBAT IOANNES FRIDERICVS GRVNERT.

¶ (o) ¶

anno XVII. A. Anno MDCCLXVIII.

Halle, Diss.) 1748. (1)


ULB Halle
002 729 407


3



Sb-

VP18





DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
DE
**FAMILIAE CONDVCTITIAE
FORO COMPETENTE**

IN PRIMIS IN
SAXONIA ELECTORALI

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

DN. CAROLO GOTTLIEB KNORRIO

ICTO POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIS AVLICIS
PROFESSORE IVRIVM ORDINARIO ET FACVLTATIS IVRIDICAE
H. T. DECANO

PRO OBTINENDO GRADV DOCTORIS

DIE V. NOVEMBR. CICCIQCCXLVIII.

HORIS ANTE ET POST MERIDIANIS

DEFENDET

A V C T O R

IOANNES GOTTLÖB FVNCKLERVS

LIPS.

Mons. O. P. L.